

aucta, egregiam duci vestro gratiam refertis! Hunc ego nuncium patri, laeta omnia aliis e provinciis audienti, feram? ipsius tirones, ipsius veteranos, non missione, non pecunia satiatos: hic tantum interfici centuriones, ejici tribunos, includi legatos: infecta sanguine castra, flumina: meque precariam animam inter infensos trahere? Cur enim, primo concionis die, ferrum illud, quod pectori meo infigere parabam, detraxistis? O improvidi amici! melius et amantius ille, qui gladium offerebat: cecidissem certe nondum tot flagitiorum exercitui meo conscius; legissetis ducem, qui meam quidem mortem impunitam sineret, Vari tamen et trium legionum ulcisceretur. Neque enim dii sinant, ut Belgarum, quamquam offerentium, decus istud et claritudo sit, subvenisse Romano nomini, compressisse Germaniae populos! Tua, dive Auguste, caelo recepta mens, tua, pater Druse, imago, tui memoria, iisdem istis cum militibus, quos jam pudor et gloria intrat, eluant hanc maculam, irasque civiles in exitium hostibus vertant. Vos quoque, quorum alia nunc ora, alia pectora contueor, si legatos Senatui, obsequium imperatori, si mihi conjugem ac filium redditis, discedite a contactu, ac dividite turbidos. Id stabile ad poenitentiam, id fidei vinculum erit.

III. ORATIO GERMANICI.

Ex ann: II, cap. LXXI.

Germanicus Caesar, peragrata Aegypto, in morbum incidit; quo levatus, alio repente fuit correptus, quo graviter conflictatus est, et suberat suspicio oblatus a Pisone, praeside Syriae, veneni. Desperata valetudine, sic apud amicos, qui tum frequentes aderant, moribundus locutus est. Rogat, ne impune tantum scelus patiantur esse Pisoni et Plancinae, ejus uxori, quae particeps sceleris credebatur. Rationem paenarum persequendarum aperit.